1310 — 13 Cal. Martii

Ex Histor. Minoritarum Vaddingi

151.

Ut impertiat facultatem Evadiae minoribus aedificandi domicilia in singulis Civitatibus suae Provinciae

Venerabili Fratri Frederico Archiepiscopo Rigen.

Clemens V.

Cum sicut in Nostra proposuisti presentia constitutus, conversatio Fratrum Minorum et Praedicatorum Ordinum in tua provintia sit admodū saluti fideliū utilis, et etiam opportuna, ut eorum salutaribus Monitis et exemplis ijdem fideles magis proficiant ad salutem, et infideles celerius ad unitatem fidei convertantur; Nos tuam in hac parte sollicitudinem commendantes in Domino, quod Tu et Successores Tui Archiepiscopi Rigen qui pro tempore fuerint, possitis auctoritate Nostra dare Licentiam Fratribus utriusq Ordinum praedictorum, unum dumtaxat locum incipiendi in Singulis Civitatibus ejusdem Provintiae felicis Recordationis Bonifacii Papae Octavi praedecessoris Nostri, et quacunq alia Constitutione in contrarium edita non obstante, plenam Tibi et Successoribus ipsis concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione 13 Cal. Martij Aº 6.